

servus, sed filius: quod si filius & hæres per Deum.

r. Constituit eum Dominum domus suæ. * Alleluia, alleluia. Constituit.

r. Et principem omnis possessionis suæ, * Alleluia, alleluia. Gloria Patri, &c. Constituit, &c.

r. Gloria & divitiæ in domo ejus, allel.

r. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi, alleluia.

AD II. VESPERAS.

Omnia ut in primis.

r. Adorabunt in conspectu ejus, allel.

r. Universe Familiæ gentium, alleluia. *Ad Magnificat.*

Ant. Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos Deus, filium suum misit factum ex muliere; ut in ipso benedicerentur omnes familiæ terræ & adoptionem filiorum reciperemus, alleluia, alleluia.

Oratio. Deus qui salutis, &c.

Pro Comm. Domin. III. post Pascha.

Ant. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit: vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, alleluia.

r. Mane nobiscum, Domine, alleluia.

r. Quoniam advesperascit, alleluia.

Oratio.

DEOS, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis qui christianâ professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum.

DIE XI. APRILIS.

In Festo S. LEONIS Papæ.

In utrisque Vesp. ad Magnificat, Ant. O Doctor. In Missâ, Introitus In medio Ecclesiæ. Epist. de libro Sapientiæ, Jus-

tus cor suum tradet. Post Evang. Credo.

DIE XXI. APRILIS.

In Festo S. ANSELMI.

In utrisque Vesp. Ant. ad Magnificat, O Doctor. In I. Noct. lect. de Comm. Doctorum, Sapientiam. Ad Missam, Credo.

DIE XVII. MAII.

In Festo S. PASCHALIS BAYLON, Confessoris — *Duplex.*

Omnia de Communi. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Paschalem Confessorem tuum mirificâ erga corporis & sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti, concede propitius, ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percepit pinguedinem, eandem & nos percipere mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Lectio I. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

PASCHALIS BAYLON pauperibus piisque parentibus in oppido Turris formosæ, Seguntinæ diocesis in Aragoniâ natus, à teneris annis plura dedit futuræ sanctitatis indicia. Sortitus animam bonam ac rerum cœlestium apprimè studiosam, pueritiam atque adolescentiam in gregis custodiâ transegit: quam ille vivendi rationem idèò præcipuè diligebat, quòd humilitati fovendæ, ac innocentie conservandæ in primis utilem atque opportunam judicaret. Erat in victu modicus, in oratione assiduus, tantæque apud cœvos & socios florebat autoritate & gratiâ, ut eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, ac desi-